



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt III. Alexand. III. (a) Vigor. Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

CAPVT III.

Alexand. III. (a) Vigor. Episcopo.

Cum nos jam pridem, si bene meminimus, tibi per litteras nostras indulserimus, Cur si I. prædecessor tuus, reclamante Capitulo Ecclesiæ tuæ, Abbati, & Fratribus de Offencia Ecclesiæ de Braja contulit, eam tibi revocare liceret; jam dictis Fratribus, sicut asseris, litteras nostras indulsumus, ut ipsis Ecclesiæ jam dictam dimitteres pacifice possidendam, immemores existentes illius scripti, quod super hoc tibi fuerat indultum. Licet autem hoc tibi indulserimus, prudentiam tuam monemus & hortamur attentius, quatenus divino intuitu, & pro reverentia Beati Petri, & nostræ Ecclesiæ ipsam, si quoquo modo sine gravi detrimento Ecclesiæ tuæ fieri potest, jam dictis Fratribus in pace, & quiete dimittas; quia decet providentiam tuam ad commodum, & profectum religiosorum locorum intendere, & quod idem prædecessor tuus pietatis studio fecit, ratum, & firmum habere. Si autem eandem ipsis Ecclesiæ dimittere fortè non poteris, non obstantibus litteris, quas prædicti Fratres super hoc impetraverunt, scriptum tibi exinde indultum in sua volumus stabilitate consistere, quoniam certum est, de rigore juris concessionem illam non tenere, si reclamante Capitulo per eundem prædecessorem tuum ipsam constat factam fuisse, nisi idem Capitulum concessionem ipsam ratam (b) postmodum habuisset.

NOTÆ.

textus litteram. De Vigorniens. Ecclesia nonnulla notavi in cap. 9. de elect.

(a) Vigor.] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. ex qua restituo hujus

(b) Ratam.] Quatenus per ratificationem alienatio facta confirmetur, dicitur in cap. 2. de transact.

CAPVT IV.

Idem Hierosolym. (a) Patriarchæ.

Novit plenius, sicut credimus, tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis, ita quidem, quod tu caput, & fratres tui membra esse probentur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium, & honestati tuæ, & sanctorum Patrum institutionibus contraire. Innoruit siquidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum Abbates, & Abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas instituis, & destituis, non considerans, nec attendens, quomodo te non sit dubium statuta sacrorum canonum transgredi, cum in hujusmodi causis clericorum, & laicorum circa te commemorantium, qui de corpore ipsius Ecclesiæ non sunt, potius quam fratrum tuorum consilio inducaris. Inde est, quod discretioni tuæ auctoritate Apostolica prohibemus, ne Abbates, Abbatissas, vel alias Ecclesiasticas personas sine consilio, & assensu Prioris, & fratrum tuorum Canonicorum sancti Sepulchri instituere, vel destituere aliqua ratione de cætero præsumas. Quod si fortè, quod non credimus, contra prohibitionem nostram attentate præsumperis, nos tales institutiones, & destitutiones, si quas amodò feceris, auctoritate Apostolica cassamus, & omni robore, & stabilitate carere decernimus.

NOTÆ.

& in ea sequentibus sæculis observata fuit regula sancti Augustini, ut probat Pennotus lib. 2. historiar. Canonic. cap. 41. num. 2. & ipse Patriarcha habebat subiectas alias Ecclesias, etiam Canonicorum regularium, ut ex cap. 58. veteris histor. Orientales, refert Pennotus in hæc verba: Patriarchalis siquidem Ecclesia, qua est Dominici Sepulchri sub monte Calvario, Canonicos habet regulares secundum habitum; & regulam Beati Augustini

U 2

(a) Patriarchæ.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. pro cuius inscriptionis, & præsentis textus expositione sciendum est; Patriarchalem Hierosolymitanam Ecclesiæ à prima ejus institutione clericos regulariter viventes habuisse jam temporibus D. Clementis, ut constat ex cap. dilectissimis 12. q. 1. D. D. Gonzalez. in Decretal. Tom. III. Pars I.